

Aliam dehinc Eclipsium Lunæ vſitate ſic dictarum, aliam item Eclipsium Lunæ menſtruarum, vel ſi maioris quotidiana- rum cauſam eruemus, ſingulasq; confirmabimus.

Porro ſub Figura Stellarum comprehendimus item Situm & Diſpoſitionem earundem: quæ Diſpoſitio nihil aliud eſt, quam figura plurium ſtellarum ſimul ſeu in relatione inter ſe conſideratarum, velut figura prior ſingulas ſtellas per ſe reſpi- ciebat. Et quia quoad hunc ſitum ſtellæ omnes in vnica qua- ſi concava Cœli ſuperficie locatæ apparent, omniſq; ſuperfici- es duabus longitudinis & latitudinis determinetur dimenſioni- bus, ideo de Longitudinibus & Latitudinibus Stellarum hoc loco agemus.

Qui item hæ ipſæ diſpenſiones (in quibus Aſtronomia fundatur) ratione ſingulari & facilima capiendæ ſeu obſeruan- dæ veniant determinabimus.

Quo loco & Stellarum Fixarum ſitum inter ſe, ſeu Longitudines & Latitudines reuera mutaffe oſtendemus.

Qui etiam veteres ob ſitum dictum qui varius, informis & inordinatus occurrit, primo etiam ſeu ſimplici intuitu com- prehendendum, & Stellarum alioquin confuſas inter ſe diſcernen- das, Effigies Stellarum plurium inter ſe certas effinxerint, eaſq; Figuris ſeu Syderibus 48 circiter incluſerint: relictis tamen ſtel- lis ob id dictis Informibus, & Planetis 7.

III.

Colorem Stellarum omnium Igneum ſeu Flammeum pro- ponemus.

Vtq; flamma noſtra & ignis materierum diuerſarum non plane ſimili colore apparet, ſic & Stellarum colore diſferre, adeoq; Saturninas, Iouiales & Martiales Stellarum in primis pronunciari.

Colorum etiam in nonnullis Stellis mutationes, non medijs ratione, (de quo poſt inter SubLunaria agendum) ſed reuera in Stellis ipſis contingentes proponemus: qualesq; Luna Colo- rum diuerſitates in Eclipsibus præſertim proprijs exhibeat, & qui hæ ipſæ ante Eclipsin prædicendæ veniant.

Stellarum etiam omnes quamuis lucidas, minime tamen pel- lucidas conuincemus.

Ad hæc Lumen Stellarum non à Sole oriri, nec inde augeri vel magis illuſtrari demonſtrabimus.

IIII.

Quantitatem & Diſtantiam veram tantum in duabus ſtel-
lis ſeu

A 3

lis ſeu